

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXV - N. 1

---

2003

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2003

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad eos qui die 24 ianuarii in Die Academicus <i>Vent'anni di esperienza canonica</i> partem habuerunt . . . . .	3
Allocutio ad Auditores, Administros, Advocatosque Rotae Romanae coram admissos . . . . .	6
Allocutio ad quosdam Brasiliae Episcopos Limina Apostolorum visitantes . . . . .	11
Ex Litteris Apostolicis <i>Ecclesia de Eucharistia</i> . . . . .	17
Ex Allocutione ad Episcopos Ecclesiae sui iuris Syro-Malabarensis Sacra Limina visitantes.	23
Ex <i>Lectione Magistrali</i> habita occasione collationis Laureae H.C. in iure civili italica («Giurisprudenza») ab Universitate cui nomen est «La Sapienza» . . . . .	26
Conventio inter Sanctam Sedem et Lettoniae rem publicam. . . . .	31

## EX ACTIS CONSILII

DIES ACADEMICUS <i>VENT'ANNI DI ESPERIENZA CANONICA</i>	
a. Prolusio Em.mi Secretarii Status . . . . .	42
b. Prolusio Exc.mi Praesidis . . . . .	45
c. Allocutio ad Summum Pontificem Exc.mi Praesidis . . . . .	51
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	53
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	54

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Decretum contra recursum quarundam excommunicatarum mulierum . . . . .	56

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio I). . . . .	60
Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio II) . . . . .	83
Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio III). . . . .	110
NOTITIAE . . . . .	138
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA. . . . .	139

COETUS STUDII  
«DE LOCIS ET DE TEMPORIBUS SACRIS»

Sessio II<sup>a</sup>  
(dd. 20-24 martii 1972 habita)

Diebus 20-24 martii 1972, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus Studii ad recognoscendas normas de locis et de temporibus sacris.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mi Ismael M. Castellano, Robertus Bézac, Romanus Arrieta Villalobos; Rev.mi Hercules Crovella, Laurentius McReavy, Christophorus Berutti, Antonius Dominicus De Sousa, Petrus Abellan, Ioannes Jaros; Ill.mus Marius Petroncelli.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, et Rev.dus Franciscus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Octavae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Bidagor.

Rev.mus McReavy functus est munere Relatoris et Rev.dus Voto functus est munere actuarii.

In praesenti Sessione examinatae sunt sequentes quaestiones: de sepultura ecclesiastica, de coemeteriis, de funeribus, de sepultura concedenda aut deneganda (cann. 1203-1242).

Votum paraverunt de propositis quaestionibus Consultores: Castellano, Bézac, Arrieta, Kaldany, Crovella, McReavy, Gomez, Berutti, Jaros.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum Relationem scripto apparavit.

Adunatio I<sup>a</sup>  
die 20 martii 1972 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et petit num ipsi approbent relationem laborum I<sup>a</sup> Sessionis quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae referuntur.

Rev.mus primus Consultor vult ut sua propositio, quae refertur in p. 75, ita corrigatur: «... hoc verbum (sacellum) saepe in Codice eundem sensum habere posse ac oratorium privatum».

Hac emendatione inducta, omnes relationem approbant.  
Deinde Rev.mus Relator quaestiones disceptandas proponit:

1. *De recognitione definitionis sepulturae ecclesiasticae*

Rev.mus Relator opportunum dicit, ut, antequam examinetur quaestio de recognitione definitionis sepulturae ecclesiasticae, sermonem fieri de ipsa rubrica, quae habetur in CIC, scilicet «de sepultura ecclesiastica», utrum sit retinenda necne.

Rev.mus Relator censet quod ratio inscriptionis rubricae «de sepultura ecclesiastica» provenit ex systemate vigentis disciplinae, quod habet fulcrum *in lege sepeliendi corpora* (can. 1203), reprobata crematione. Nunc autem, secundum novum *Ordo Exequiarum*, quamvis non debeat Ecclesiam anteponere consuetudinem sepeliendi cadavera, tamen iis etiam fidelibus qui proprii cadaveris cremationem elegerint, «ritus exequiarum christianarum concedendi sunt, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianae vitae adversis» (*Praenotanda*, n.15).

Sublato igitur pracepto vi cuius, in toto titulo vigentis Codicis, agitur semper de iuribus ritibusque *ad sepulturam ordinatis*, cadere videtur ratio inscriptionis «de sepultura ecclesiastica», quasi funus ecclesiasticum identificetur cum sepultura.

Nova inscriptio potest esse vel «de exequiis ecclesiasticis» vel «de funere ecclesiastico».

Rev.mi secundus, tertius, quartus et quintus Consultores preferunt novam inscriptionem «de exequiis ecclesiasticis» vel «de funere ecclesiastico».

Rev.mi sextus, primus, septimus et Ill.mus octavus Consultores propnunt ut titulus inscribatur simpliciter «de exequiis», ita ut sub hoc titulo comprehendantur sive actus liturgici sive actus non liturgici.

Rev.mus Secretarius, attenta animadversione Relatoris, arguit quod si in novo Codice momentum maius tribuatur funeribus potius quam sepulturae, iam considerandum est utrum haec sectio aptius collocari debeat in parte de cultu divino necne.

Rev.mus secundus Consultor censet hanc sectionem apte retineri posse in parte de locis sacris, quia in pluribus regionibus habentur coemeteria ecclesiastica, de quibus ratio adhuc habenda est, etsi normae huius sectionis spectare debebunt ad ordinem funeris, potius quam ad ordinem sepulturae.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum secundo Consultore, quia praevideri potest quod, saltem in proximo futuro, pars longe maior fidelium praeponent sepulturam cremationi, et ideo plura erunt coemeteria etiam in futuro.

Rev.mus sextus Consultor censet coemeteria necessaria fore etiam quando crematio cadaverum in usu communi erit, quia urnae cinerum semper custodiendae erunt in aliquo columbario. Ideo haec sectio tuto retineri potest in parte de locis sacris.

Rev.mus quintus Consultor concordat cum sexto Consultore.

Rev.mus primus Consultor censet sive quaestionem de inscriptione tituli sive quaestionem de collocatione huius sectionis aptius examinari posse postquam tota materia recognita fuerit, quia sive inscriptio sive collocatio sectionis dependent a praevalenti materia quae in novis normis ordinabitur.

Ill.mus octavus Consultor censet in hac sectione plura haberi quae male sonarent in parte de cultu divino, ideo, attentis etiam suggestionibus secundi et sexti Consultorum, opportunum dicit ut hanc sectionem manere in parte de locis sacris.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut haec sectio collocetur in parte de sacramentalibus.

Rev.mus secundus Consultor admittit ut normae de exequiis collocentur in parte de cultu divino; normae vero de coemeteriis retineri debent in parte de locis sacris.

Rev.mus Relator non negat in hac sectione extare normas quae collocari deberent aliae in parte de cultu divino aliae in parte de iuribus fidelium, etc. Tamen non videtur adesse rationem sufficientem discedendi a criteriis quae securi sunt codificatores anni 1917 circa collocationem huius materiae.

His disceptatis, Consultores concordant ut questiones de inscriptione tituli et de systematione materiae remittantur ad proximam Sessionem, postquam tota materia recognita fuerit.

Deinde Consultores veniunt ad recognitionem can. 1203.

Rev.mus Relator dicit quod definitio can. 1203 iam aptari debet novae disciplinae inductae per novum *Ordo Exequiarum* a Sancta Sede editum, quare hanc novam formulam proponit:

«§ 1. *Fidelium defunctorum corpora exsequiis ecclesiasticis Deo commendanda sunt.*

§ 2. *Exsequiae, seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebranda sunt iuxta illum typum quem, ad normam legum liturgicarum, Conferentia Episcopalis regionis legitime providerit (cf. Praenotanda, nn. 4-8, 21-22).*

§ 3. *Illis etiam qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianaे vitae adversis, con-*

*cedendi sunt exsequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepeliendi anteponere, vitatoque periculo scandali vel indifferentismi religiosi» (cf. Praenotanda, n. 15).*

Circa § 1 sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus Secretarius petit ut determinetur subiectum obligationis de qua in § 1.

Rev.mi Relator et sextus Consultor non vident necessitatem huius determinationis, quia non in CIC (can. 1203) determinatur subiectum obligationis.

Rev.mus secundus Consultor item censet non esse necessarium determinare subiectum obligationis, quia in casu agitur de iure quod est simul publicum et subiectivum.

Ill.mus octavus Consultor animadvertisit aliam esse obligationem faciendo exequias, quae tenet tantum fideles, aliam esse obligationem sepeliendi cadavera, quae tenet omnes homines.

Rev.mus Relator respondet quod mens § 1 est determinare utrum exequiae sint aliquod sacramentale ad libitum fidelium et ministrorum ecclesiasticorum, an potius exequiae ita sint obligatoriae ut neque fideles possint illas respirene neque ministri Ecclesiae eximi possint ab ipsorum impletione.

Rev.mus nonus Consultor dicit ultimis voluntatibus defectorum obtemperandum esse, ideo ponere non licet obligationem strictam circa exequias faciendas, quia quis posset in suo testamento aliter disponere.

Rev.mus Secretarius respondet ultimas voluntates non esse servandas quando sunt contra leges.

Rev.mus quintus Consultor timet ne statuatur obligatio, quae sit contra libertatem religiosam.

Rev.mus primus Consultor proponit ut Coetus primo decernat num statui debeat praeceptum generale de exequiis faciendis; quaestio autem de subiecto ad quem pertineat haec obligatio examinabitur postea.

Rev.mus secundus Consultor hanc formulam proponit:

«§ 1. *Corpora omnium defensorum sepelienda sunt vel cremationi tradenda ad normam iuris».*

Haec formula non placet quia ponit in eadem dignitate sepulturam et cremationem (Rev.mi sextus, quartus et octavus Consultores) et quia respicit «omnes defunctos», dum lex canonica respicere potest tantum fideles (Rev.mi tertius, primus, octavus Consultores et Relator).

**Adunatio I<sup>a</sup>**  
die 21 martii 1972 – mane habita

Rev.mus Relator resumit discussionem iam factam circa § 1 et deinde denuo proponit suam formulam can. 1203, in quo haec habentur:

- obligatio faciendi exequias, quae sint veluti extremum servitium quod pia mater Ecclesia tribuit suis filiis (§ 1);
- aliqua descriptio exequiarum (§ 2) ;
- casus praevidentur de illis, qui eligunt cremationem.

Rev.mus Relator ergo petit num placeat § 1 id est: «Fidelium defunctorum corpora exequiis ecclesiasticis Deo commendanda sunt».

Rev.mi tertius et primus Consultores animadvertisunt exequias esse pro defunctis (anima et corpore) non tantum pro corporibus.

Rev.mus secundus Consultor idem dicit et proponit ut in § 1 aliquod principium generalissimum statuatur ita: «exequiae ecclesiasticae pro defunctis sedulo celebrentur».

Rev.mus Secretarius non approbat hoc principium generalissimum, quia tantum exequiae immediate post mortem sunt debitae, aliae exequiae sunt liberae.

Rev.mus Relator proponit: «Exequiis ecclesiasticis funerentur omnes fideles defuncti».

Sed primis Consultor praefert verba «Deo commendentur» loco «funerentur».

Tandem Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam quae omnibus placet:

«§ 1. *Omnes fideles defuncti exequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt*».

Examinatur formula § 2:

«*Exequiae, seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebrandae sunt iuxta illum typum quem, ad normam legum liturgicarum, competens Conferentia Episcopalis legitime providerit*».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus nonus Consultor: supprimantur verba «seu ritus sacri» (non placet);

Rev.mus secundus Consultor: dicatur « celebranda sunt iuxta modum quem » loco « iuxta illum typum quem » (placet omnibus);

Rev.mus primus Consultor: supprimatur verbum « legitime » (placet omnibus);

Rev.mus quintus Consultor: dicatur « statuerit » loco « providerit » (placet omnibus).

His emendationibus factis, formula omnibus placet.

Circa § 3 habetur tantum animadversio Rev.mi sexti Consultoris, qui proponit ut supprimantur ultima verba « vel indifferentismi religiosi ».

Haec propositio placet 6, non placet 4.

Cetera verba formulae omnibus placent.

Rev.mus Relator proponit suppressionem can. 1204 CIC.

Omnes Consultores hanc propositionem approbant.

Deinde Rev.mi Relator et tertius Consultor proponunt novum can., qui sit 1204, in quo inseratur *novum praeceptum generale*, quod e Const. Concilii Vat. II de Sacra Liturgia in Praenotandis novi *Ordo Exequiarum* citatur, videlicet:

*« In celebratione exequiarum, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum Auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatuarum personarum aut condiciorum, sive in caeremoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio ».*

Rev.mus Relator censet quod specialis sit ratio ut haec norma, iam clare in iure liturgico contenta, expresse iteretur in Codice et ponatur veluti « in capite libri ». Ipsa enim diversitas rituum, quae in novo *Ordo Exequiarum* praebetur (ubi etiam minister urgetur ut « facultatibus in ritu concessis libenter utatur »), acceptio personarum occasionem creare posset.

Rev.mi quartus et primus Consultores censent non esse hic locum aptum huius normae, quae, in Constitutione Liturgica Concilii Vaticanii II, respicit omnes functiones ecclesiasticas, non tantum exequiales. Si autem placet hanc normam in hanc partem Codicis transferre, formula indiger mutationibus ita ut stricte ad casum exequiarum aptetur.

Rev.mi sextus et septimus Consultores censent hanc normam esse opportunam, attamen sextus Consultor petit ut in eodem canone statuatur simul exequias ita ordinandas esse ut aliquem minimum decorem praebant, qui sit proportionatus dignitati personae.

Rev.mus Secretarius censet sensum huius normae, propositae a Rev.mo Relatore, esse ut vetantur acceptiones personarum illegitimae, non autem illae legitimae quae obiective a dignitate personae postulantur.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit, quae omnibus placet:

*Can. 1204: «In celebratione exequiarum, praeter distinctionem ex Ordine sacro manantem, nulla privatuarum personarum aut condicionum in caeremoniis habeatur acceptio».*

**Adunatio III<sup>a</sup>**  
**die 21 martii 1972 – vespera habita**

**2. De Coemeteriis**

**a) Utrum coemeteria recensenda sint inter loca sacra necne**

Rev.mus Relator refert Consultores in suis votis affirmative respondisse huic dubio, excepto Rev.mo septimo Consultore, qui censet coemeteria non esse recensenda inter loca sacra.

Difficultas tamen habetur inter Consultores in decernendo *quaenam* coemeteria benedicenda sint, ita ut fiant loca sancta:

- an tantum coemeteria alicui familiae religiosae aut communitati christiana reservata (Rev.mus secundus Consultor);
- an tantum coemeteria iurisdictioni Ecclesiae subdita (Rev.mus tertius Consultor);
- an coemeteria ubi condi solent potissimum catholici (Rev.mus quartus Consultor); etc.

Rev.mus Relator autem censet hanc quaestionem non esse solvendam, cum sufficiat aliquod principium generale circa opportunitatem habendi coemeteria propria, ubi fieri potest.

Cum Consultores concordent cum Relatore, quaeritur ante omnia utrum retinendum sit necne principium can. 1206, § 1, scilicet: «Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria».

Plures Consultores, etsi admittant hoc principium, negant opportunitatem illud retinendi in Codice, quia de facto nullum effectum habet erga Status civiles, nisi interveniat concordatum circa hoc ius (Rev.mi Relator, tertius et nonus Consultores).

Alii Consultores et Rev.mus Secretarius censent principium retinendum esse in Codice, ne ex silentio arguatur Ecclesiam renuntiasse huic iuri.

Circa hanc quaestionem specialis mentio fit voti Exc.mi Kaldany, qui postulat ut in lege communi firmetur ius Ecclesiae ut habeat coemeteria propria, quia hoc ius agnoscitur in illis nationibus ubi viget regimen «Statutorum personalium».

Proponitur ab Actuario ut hoc principium can. 1206, § 1, transferatur in cann. praeliminares (1154-1160), qui adhuc recognoscendi sunt.

Haec novissima propositio omnibus placet.

Deinde Rev.mus Relator proponit ut examinetur sequens formula canonis, in quo quaedam essentialia statuuntur circa coemeteria catholica:

*«§ 1. Ubi fieri potest, laudabiliter habeantur coemeteria catholica, vel saltem spatia catholicis in coemeteriis civilibus reservata, alterutra secundum ritus probatos benedicenda, in quibus cadavera fidelium sepeliri possunt.*

*§ 2. Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties benedicantur singuli tumuli in quibus cadavera fidelium sepeliuntur.*

*§ 3. In ecclesiis cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum nullius in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S.R.E. Cardinalium ».*

Quoad § 1:

Circa hanc § 1 sequentes emendationes proponuntur:

Rev.mus secundus Consultor: dicatur «Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur, vel etc.» (placet omnibus).

Ill.mus octavus Consultor: dicatur «Coemeteria Ecclesiae propria habeantur; ubi fieri non potest habeantur saltem spatia, etc.» (propositio non placet).

Rev.mi primus Consultor et Relator dicatur: «... vel saltem spatia, in coemeteriis civilibus, fidelibus defunctis destinata...» (omnibus placet).

Rev.mus secundus Consultor: dicatur «... alterutra rite benedicenda» et supprimantur reliqua verba (omnibus placet).

Quoad § 2:

Rev.mus secundus Consultor proponit ut § 2 ad haec verba reducatur:

«Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur».

Propositio omnibus placet.

Quoad § 3:

Rev.mus primus Consultor petit quaenam sint rationes statuendi privilegia sepeliendi quosdam tantum viros ecclesiasticos in ecclesiis.

Rev.mus Relator respondet finem canonis esse ut limitentur sepulturae in ecclesiis, non ut dentur privilegia.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut nemo sepeliatur in ecclesiis, et salva sit destinatio ecclesiarum exclusive ad cultum divinum.

Rev.mus sextus Consultor censet specialem nexum haberi inter episcopum et suam ecclesiam cathedralem, qua ratione nullus fidelium mirari poterit si episcopus in sua ecclesia sepeliatur.

Rev.mus secundus Consultor censet quod § 3 sapit privilegium, quia primo datur prohibitio sepeliendi cadavera in ecclesiis et postea numerantur exceptiones. Ad tollendam ideam privilegii oporteret ita re-dactionem mutare:

«Tantummodo cadavera Romani Pontificis, S.R.E. Cardinalium, Episcoporum, Abbatum vel Praelatorum nullius in ecclesiis sepeliri possunt».

Suffragatur utrum placeat retinere vetitum generale «In ecclesiis cadavera ne sepeliantur» necne:

Placet 9; non placet 1.

Suffragatur utrum placeat sustinere omnes exceptiones quae sunt in can. 1205, § 2, CIC necne:

Placet 2; non placet 8.

Deinde habetur suffragatio de singulis exceptionibus can. 1205, § 2, CIC:

– utrum placeat excipere Episcopos residentiales necne:

Placet 6; non placet 4;

– utrum placeat excipere Abbates vel Praelatos nullius necne:

Non placet 10;

– utrum placeat excipere Romanum Pontificem necne:

Placet 10;

– utrum placeat excipere personas regales necne:

Non placet 10;

– utrum placeat excipere S.R.E. Cardinales necne:

Placet 8; non placet 2.

Suffragatur utrum placeat haec formula § 3 necne:

« In ecclesiis cadavera ne sepeliantur nisi agatur de cadaveribus Romani Pontificis aut S.R.E. Cardinalium, vel de cadaveribus Episcoporum residentialium in propria ecclesia sepeliendis ».

Placet 8; non placet 1.

Suffragatur utrum in hoc canone includi debeant necne etiam Episcopi olim residentiales:

Placet 8 et ad mentem; non placet 1.

Mens eorum, quibus placuit, est ut in loco apto, in parte de Sacra Hierarchia, dicatur Episcopos olim residentiales aequiparari Episcopis residentialibus quoad honores.

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 22 martii 1972 – mane habita**

b) *Quaenam normae de coemeteriis retinendae sint in iure communi*

Ad solvendam hanc quaestionem recensentur cann. 1207-1214 CIC, ita ut de singulo canone decernatur utrum retinendus sit necne.

*Can. 1207:* supprimatur. Ita censemt omnes Consultores.

*Can. 1208:*

Rev.mus Relator proponit ut canon 1208 supprimatur, ita ut ius particolare statuat quaenam personae morales vel familiae privatae suum coemeterium vel sepulcrum habere possint.

Quoniam Rev.mi Secretarius, secundus et primus Consultores volunt ut dicatur in iure communi quid facere possit ius particulare in hac materia, Relator proponit hanc formulam:

« *Paroeciae aliaque instituta ecclesiastica coemeteria peculiaria habere possunt de consensu Ordinarii proprii, nisi obstet ius particulare* ».

Rev.mus secundus Consultor autem proponit hanc formulam:

« *§ 1. Paroeciae et familiae religiosae coemeterium proprium habere possunt.*

*§ 2. Etiam aliis personis moralibus canonicis vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum rite benedictum* ».

Rev.mi Relator et tertius Consultor approbant formulam Rev.mi secundi Consultoris, attamen vellent § 1 complere per verba: «de consensu Ordinarii loci», ad vitandos abusus.

Rev.mi Secretarius, secundus et primus Consultores censem hanc clausulam non esse necessariam, quia Ordinarius potest semper moderari exercitium iuris ad vitandos abusus.

Praeterea Rev.mus tertius Consultor vellet ut religiosi, qui habent coemeterium proprium ad normam § 1, reservent hoc coemeterium solis sodalibus suaे religionis.

Haec propositio Rev.mi tertii Consultoris non placet aliis Consultoribus, quia res pertinet ad exercitium iuris, quod regi potest iure particulari. Ceterum nihil mirum quod etiam laici sepeliantur in coemeteriis religiosorum.

Suffragatur utrum placeat formula Rev.mi secundi Consultoris necne:  
Omnibus placet.

#### *Can. 1209*

Rev.mi Relator, secundus et nonus Consultores proponunt suppressiōnem can. 1209, sed ill.mus octavus Consultor animadvertisit in can. 1209 contineri elementa de dominio et de alienatione sepulcrorum, quae praetermitti non possunt.

Ut de hac et de aliis quaestionibus caveatur in lege, Rev.mi Secretarius et secundus Consultor proponunt ut in can. 1208 addatur alia paragraphus quae dicat:

«*Quoad praedictorum iurium exercitium provideat ius particulare*».

Haec nova § omnibus placet.

#### *Can. 1209*

Omnes concordant ut supprimatur.

#### *Can. 1210*

Supprimatur. Ita omnes Consultores.

#### *Cann. 1211-1213*

Supprimantur. Ita omnes Consultores.

*Canon 1214*

Rev.mus Relator proponit ut can. 1214 retineatur, quia quaestio de exhumatione cadaveris habet suum momentum, quod considerari debet non tantum ab auctoritate civili, sed etiam a competenti auctoritate ecclesiastica.

Sed alii Consultores volunt hunc canonem supprimere, quia etiam de quaestione exhumationis cavere potest ius particulare, ad normam can. 1208, § 3, modo approbati.

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
die 22 martii 1972 – vespera habita

*3. De Funere**a) De ecclesia funeris*

Rev.mus Relator censet plures ex cann. 1215-1238 CIC (de cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione) ordinatos fuisse eum praesertim in finem ut determinarentur clare iura circa taxas vel eleemosynas occasione funerum de more solvendas. En ratio cur in lege praevideri debuerunt tot casus, secundum varias circumstantias, ad determinandam ecclesiam funeris.

In iure autem condendo, si funera occasionem lucri notabilis ecclesiae funeranti praebere desinant (quod plures Consultores petunt), ita ut celebratio funeris fiat servitium magis onerosum quam frugiferum, opus erit potius determinare aliquam ecclesiam quae *officio funerandi* tenetur, quatenus nempe eius servitium voluerit defunctus aut petant eius propinqui.

Ex votis patet quod fere omnes Consultores consentiunt circa duo:

*a) ut hoc servitium officiosum funerandi assignetur imprimis ecclesiae paroeciali defuncti;*

*b) ut detur fidelibus libertas petendi ut funus ab alia ecclesia non propria celebretur. In hoc casu, dicit Rev.mus Relator, distinguere oportet inter libertatem petendi hanc celebrationem et ius strictum eam obtinendi.*

Praeterea Rev.mus Relator querit num praevideri debeat casus in quo defunctus plures habeat paroecias proprias et casus specialis ecclesiae funeris pro quibusdam classibus fidelium (Cardinales, Episcopi, religiosi, etc.).

Ut habeatur aliqua basis discussionis, Rev.mus Relator proponit hanc formulam novi canonis:

«§ 1. *Salvo praescripto can. xyz (scil. in quo agitur de exequiarum dene-gatione), cuique fideli competit ius ut funus suum in propriae paroeciae ecclesia vel saltem ab eiusdem ecclesiae ministris celebretur, si ita voluerit, aut si, deficiente voluntatis eius expressione, ita petierint ii quorum interest.*

§ 2. *Si vero ab iisdem optetur funeris celebratio in alia ecclesia, vel a mini-stris alias ecclesiae, quae ad propriam defuncti paroeciam non pertinet, suffi-cit ut ecclesia optata iure funerandi sit praedita et ut consensus rectoris eius legi-time obtineatur».*

Rev.mi secundus, tertius et sextus Consultores censem non esse attendenda vetera principia «ubi tumulus ibi funus» vel «ubi mors ibi funus», sed potius nova principia, proposita a Relatore, id est *officium* paroeciae faciendi funus et *libertas* eligendi aliam ecclesiam certis sub conditionibus.

Quoad formulam autem Consultores censem eam melius perpolien-dam esse.

Rev.mus primus Consultor censem fulcrum novae propositionis Relatoris esse in eo quod paroeciae tollitur ius faciendi funus et ei imponitur tantum officium. Convenit ut haec mutatio systematis sedulo perpendatur.

Rev.mus Secretarius timet difficultates practicas obvenire posse ex impositione officii cui non correspondet ius ipsius paroeciae.

Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam:

«§ 1. *Funus pro quolibet fideli defuncto ex iure ordinario in propriae paroeciae ecclesia celebrari debet.*

§ 2. *Fas autem est cuilibet fideli vel iis, quibus defuncti exequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere, dummodo consensus rectoris legitime accedat».*

Rev.mus Secretarius petit ut in canone praevideatur etiam casus defuncti cui mors acciderit extra propriam paroeciam et tunc Rev.mi Relator, primus et secundus Consultores, communi consilio, redigunt formulam § 3 his verbis:

«§ 3. *Si extra propriam paroeciam mors acciderit, neque cadaver ad eam translatum fuerit, neque aliqua ecclesia funeris legitime sit electa, exequiae celebrentur in ecclesia iure particulari designanda».*

Canon omnibus placet quoad §§ 2 et 3.

Circa § 1 autem Rev.mus Relator addere vellet haec verba:

*«... in propriae paroeciae ecclesia vel saltem ab eiusdem ministris celebrari debet».*

Rev.mi secundus et tertius Consultores censem non esse necessarium, quia quando dicitur «in ecclesia paroeciae propriae», id non intelligi debet de aedificio ecclesiae paroecialis, sed sensu lato ita ut ubicumque sit parochus cum aliquibus suis fidelibus, ibi est paroecia. Attamen, ratione claritatis, dici posset: «in propria paroecia», loco «in propriae paroeciae ecclesia».

Suffragatur utrum placeat § 3 necne:

Placet 9; placet iuxta modum 1.

*Modus:*

Dicatur «in propria paroecia» loco «in propriae paroeciae ecclesia», (Rev.mus sextus Consultor).

**Adunatio VI<sup>a</sup>**  
die 23 martii 1972 – mane habita

b) *De coemeterio sepulturae*

Rev.mus Relator quaerit num aliqua norma de coemeterio sepulturae statuenda sit. Cum enim nostris temporibus pauca sint coemeteria propria paroeciae, nequit dari verum ius eligendi quodlibet coemeterium ecclesiasticum, ius scilicet effectivum, vi cuius electio admitti debeat ab iis qui coemeterium moderantur. Oportet ergo ut ex ipsa lege requiratur aliqualis mutua conventio praevia ad hoc ut quis tumulari possit in aliquo coemeterio ecclesiastico.

Rev.mus Relator proponit hunc canonem:

*«Ut fidelis defuncti cadaver in coemeterio quodam ecclesiastico tumuletur, sufficit ut conventio cum auctoritate competenti legitime prius inita fuerit».*

Rev.mi secundus et tertius Consultores censem non esse necessarium condere legem de coemeterio sepulturae.

Rev.mi primus et quintus Consulores concordant cum Relatore circa

opportunitatem alicuius normae, qua statuatur libertas eligendi locum propriae sepulturae.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod si datur facultas eligendi locum sepulturae, statui etiam debet quodnam sit *coemeterium ordinarium* sepulturae.

Suffragatur utrum placeat aliquid dicere in Codice de coemeterio sepulturae necne:

Placet 7; non placet 3.

Tunc Rev.mus Relator, consiliis initis cum Rev.mis primo, secundo, tertio et quinto Consultoribus, hanc formulam canonis redigit:

«§ 1. *Si paroecia habet proprium coemeterium, ex iure ordinario, in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit vel ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit.*

§ 2. *Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere coemeterium sepulturae, quo in casu in illo sepeliantur cadavera, dummodo consensus accedat superioris a quo coemeterium pendet.*».

Suffragatur utrum placeat § 1 necne: Omnibus placet.

Suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet 5; non placet 2; placet iuxta modum 1.

*Modus:*

Habeatur canon distinctus in quo dicatur de facultate quam omnes habent eligendi sive ecclesiam funeris sive coemeterium sepulturae (Rev.mus primus Consultor).

Aliquis Consultor exprimit suum votum ne ulla fiat lex qua vetatur sepultura membrorum eiusdem familiae, quorum alia sint catholica alia sint pagana, in eodem sepulcro. Hoc enim vetitum locum daret recriminationibus et esset obstaculum evangelizationis paganorum.

**Adunatio VII<sup>a</sup>**  
**die 23 martii 1972 – vespere habita**

c) *De ecclesia funeris pro quibusdam classibus fidelium*

Rev.mus Relator quaerit an expediat in iure communi assignare et determinare pro quibusdam classibus fidelium (Cardinalibus, Episcopis, religiosis, etc.) specialem ecclesiam funeris aut melius sit tales exceptiones iuri particulari demandare.

Quo aptius huic quaestioni respondi possit, proponitur ut examinentur singillatim cann. 1215-1233 CIC, qui agunt de cadaveris translatione ad ecclesiam, de funere ac depositione. Percurrendo singulos canones, dicetur quid retinendum, quid addendum aut suppressum sit circa has quaestiones.

Propositio omnibus placet et ideo examinantur singuli canones.

*Cann. 1215, 1216, 1217 et 1218*

Omnis Consultores concordant ut suppressantur.

*Can. 1219*

Omnis Consultores concordant ut suppressatur § 1, quae agit de ecclesia funeris Cardinalium. De hac re enim certo certius providebitur in Pontificali Romano. Si aliquid in iure dici debet, locus aptus est in iure particulari, non in iure communi.

Quod autem attinet ad ecclesiam funeris pro Episcopo defuncto, de qua in § 2, Rev.mi tertius et quintus Consultores proponunt ut de hac quaestione sermo sit in parte de sacra Hierarchia, ubi haberi deberet sectio de privilegiis Episcoporum.

Rev.mi nonus et quartus Consultores proponunt ut § 2 suppressatur simpliciter, quia iam in can. 1205, § 3, dictum est de sepultura Episcopi in ecclesia cathedrali et ideo, indirekte, norma data est de funere in ipsa faciendo.

Alii Consultores malunt normam hic retinere quae agat de ecclesia funeris pro Episcopo defuncto. Rev.mus Relator proponit hanc normam, quae omnibus placet:

*Can. 1219*

«*Exequiae Episcopi residentialis defuncti in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi aliam ecclesiam elegerit.*»

*Can. 1220*

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1220 necne:  
Placet 9; non placet 1.

*Can. 1221*

Rev.mi Secretarius et primus Consultor proponunt ut can. 1221 ita  
recognoscatur:

*«Exequiae religiosorum eorumque qui cum illis stabiliter commorantur  
fiant ad normam constitutionum».*

Propositio omnibus placet.

*Cann. 1222*

Supprimatur.

*Can. 1223*

Iam recognitus est.

*Can. 1224*

Supprimatur.

*Can. 1225*

Supprimatur.

*Can. 1226*

Supprimatur.

*Can. 1227*

Supprimatur.

*Can. 1228*

Supprimatur.

*Can. 1229*

Supprimatur.

*Can. 1230*

Supprimatur.

*Can. 1231*

Supprimatur.

*Can. 1232*

Supprimatur.

*Can. 1233*

Supprimatur.

**Adunatio VIII<sup>a</sup>**  
**die 24 martii 1972 – mane habita**

Huic conventui praeest Em.mus Cardinales Pericles Felici, Praeses Commissionis.

d) *De taxis*

Quaeritur an taxae, de quibus in cann. 1234-1237 CIC sustinendae sint in novo iure ut taxae stricto sensu sumptae.

Rev.mus Secretarius proponit ut tota materia taxarum remittatur Conferentiis episcopalibus.

Rev.mus secundus Consultor, facta distinctione inter taxas, oblationes et expensas additicias circa ornatum et pompam, censem taxas abolendas esse in iure communi, normas autem de oblationibus et de expensis additiciis remittendas esse Conferentiis episcopalibus.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«§ 1. *Quamvis laudanda sit fidelium consuetudo eleemosynas Ecclesiae*

*occasione funerum libere donandi, curent Ordinarii ne erigatur in sistema taxarum debitarum, neque urgeatur in detrimentum defunctorum pauperum, qui quidem, etsi nihil pro eorum exequiis offeratur, semper tamen decenter iuxta leges liturgicas ac Conferentiae episcopalnis statuta funerandi sunt.*

§ 2. *Expensae additiciae persolvantur directe ab iis qui exequias consuetis solemniores cupiunt».*

Rev.mus secundus Consultor timet ne, per hanc formulam, eleemosynae de facto habeantur ut taxae et tunc habebitur mutatio tantum in nomine. Forsan suppressio taxarum clarius apparebit si dicatur: «... carent Ordinarii ne *ullo modo* erigatur in sistema taxarum, etc.».

Rev.mus sextus Consultor admonet Consultores in non paucis regionibus nullum aliud medium haberi pro sustentatione cleri nisi emolumenta quae proveniunt ex taxis occasione funerum, matrimoniorum, etc... Cauta ergo procedendum est in hac materia ne magnae difficultates ingerantur Episcopis. Ex experientia constat aliquos parochos suppressisse omnes taxas paroeciales ut ipsi consequi possent suum finem locandi suam operam in negotiis saecularibus.

Rev.mi tertius, nonus, quartus et quintus Consultores censem conferentiis episcopalibus competere munus statuendi normas practicas quibus, attentis locorum circumstantiis, satisfieri possit, quantum possibile est, et optatis eorum qui volunt taxas supprimere et necessitatibus pro sustentatione cleri.

Rev.mus primus Consultor admittit determinationes practicas remittendas esse conferentiis episcopalibus, tamen petit ut in iure communi laudetur consuetudo donandi eleemosynas Ecclesiae occasione funerum, exprimatur votum de suppressione taxarum, imponatur onus de funere gratuito pro pauperibus. Quod attinet ad sollemnitates exequiarum, quamvis admittantur expensae additiciae, res ita componi debet ut appareat apparatus et coheremonias praestitas ab Ecclesia easdem esse pro omnibus.

Rev.mus septimus Consultor petit ut supprimantur omnino classes exequiarum.

Ill.mus octavus Consultor approbat formulam Relatoris quia in ipsa cavetur de exequiis dandis pauperibus, laudatur consuetudo donandi eleemosynas Ecclesiae occasione funerum et, in § 2, admittuntur exequiae solemniores per expensas additicias, quae persolvi debent directe ab iis qui illas petunt.

Em.mus Praeses censet quod si approbatur § 2, impossibile erit classes exequiarum supprimere. Praeses proponit ut can. ad haec duo tantum reducatur:

- consuetudo donandi eleemosynas ecclesiae occasione funerum laudatur, attamen sit libera et ne erigatur in sistema taxarum debitatarum;
- omnibus defunctis persolvantur exequiae iuxta leges liturgicas et a Conferentia Episcopali statutas.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Em.mo Praeside, attamen proponit ut servetur § 2 eo praesertim fine ut appareat illas expensas additicias non confundendas esse cum eleemosynis de quibus in § 1.

Relator proponit hanc formulam:

*Can. 1235*

«§ 1. *Quamvis fovenda sit fidelium consuetudo oblationes Ecclesiae occasione funerum libere donandi, current tamen Ordinarii ne ullo modo mutentur in sistema taxarum debitatarum; omnibus autem fidelibus defunctis semper exequiae persolvantur iuxta leges liturgicas et Conferentiae Episcopalis statuta.*

§ 2. *Expensae additiciae persolvantur directe ab iis qui exequias consuetis sollemniores cupiunt.*»

Rev.mus primus Consultor proponit ut in § 1 dicatur: «... current tamen Ordinarii ne ullo modo *taxae exigantur*», loco «mutetur in sistema taxarum debitatarum» (placet omnibus).

Suffragatur utrum placeat novus can. 1235 necne:  
Placet omnibus.

*Can. 1238*

Rev.mus Relator proponit ut can. 1238 servetur prout est in CIC.  
Propositio omnibus placet.

e) *De exequiis ecclesiasticis concedendis aut negandis*

*Can. 1239* (quibus exequiae concedendae sint).

Antequam statuatur quibus defunctis exequiae ecclasiasticae concedendae sint, Rev.mus Relator ponit hanc quaestionem praejudicialem.

In novo «Ordine exequiarum», a Sancta Sede nuper edito, provisio sit pro peculiari exequiarum forma, quam loci Ordinarii permittere possunt pro parvulo, ante baptismum mortuo, quem tamen parentes baptizari volebant (cf. *Ordo exequiarum*, n. 82 et nn. 231-237).

Oritur igitur quaestio utrum haec norma inserenda sit necne in can. 1239.

Rev.mus Relator huic quaestioni negative respondet, quia in can. 1239, dicit ipse, agitur de exequiis ecclesiasticis stricto sensu acceptis, quarum finis, prout legitur in novo *Ordo Exequiarum* est ut « illi qui Christi mortui et suscitati per baptismum concorporales facti sunt, cum Ipso per mortem transeant ad vitam ». Exequiae ecclesiasticae ergo concedendae sunt tantum baptizatis in re vel in voto.

Illa concessio exequiarum pro parvulis non baptizatis, facta a novo « Ordine exequiarum », bene est ut maneat concessio tantum ritualis, quae imprimis ad parentum consolationem fit, quaeque proprium suum locum habet in libris liturgicis, non autem in iure canonico. Si illa concessio in iure canonico recipetur, aliqua cum catechumenis innueretur aequiparatio, quae opinioni quorundam theologorum recentiorum, adhuc valde controversae, favere videretur.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo Relatore ut ne recipiatur in Codicem illa concessio facta in novo *Ordo Exequiarum*; ne autem videatur hunc Coetum reprobare illam concessionem, oportet normam can. 1239, § 1, modo positivo exprimere.

Em.mus Praeses dicit Consultores habere facultatem proponendi aliquid contra novum *Ordo Exequiarum*, quod a superiore instantia perpendi possit, quando redactio definitiva Ritualis Romani facienda erit.

Rev.mus primis Consultor concordat cum secundo Consultore circa opportunitatem exprimendi modo positivo normam can. 1239, § 1, ita ut vitetur oppositio cum norma data in novo *Ordo Exequiarum*.

Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam:

*Can. 1239*

« § 1. *Omnes fideles et catechumeni defuncti exequiis ecclesiasticis donandi sunt nisi iisdem a iure expresse priventur.*

§ 2. *Fratribus seiunctis, qui per baptismum in quadam cum Ecclesia catholica communione constituti sunt, concedi possunt exequiae ecclesiasticae de prudenti loci Ordinarii iudicio.*

§ 3. *Etiam alii, qui aliquomodo ad Ecclesiam propinqui videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae, de prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt.*

Rev.mus tertius Consultor approbat indolem generalem huius canonis, ubi exequiae considerantur praevalenter non ut honor defunctis datus sed ut pre-

ces ad impetrandam misericordiam Dei pro defunctis. Hac ratione suffragia conceduntur, cum debita prudentia, etiam illis qui non sunt baptizati (§ 3).

Rev.mi sextus, quartus et Ill.mus nonus Consultores timent ne facultates datae in § 3 foveant indifferentismum, quin dicatur de situatione incommoda Episcoporum, qui saepe illas facultates negare debebunt.

Rev.mus secundus Consultor negat periculum indifferentismi, quia in § 3 agitur tantum de suffragiis, minime de exequiis.

Suffragatur utrum placeat can. 1239 necne:  
Placet omnibus.

**Adunatio IX<sup>a</sup>**  
**die 24 martii 1972 – vespere habita**

Rev.mus Relator proponit quaestionem an mitiores reddendi sint cann. 1240-1242 circa denegationem sepulturae ecelesiasticae. Ipse censet non requiri catalogum casuum privationis, sed potius criterium aliquod generale, quod comprehendere possit omnes casus in quibus scandali periculum occurrere solet. Canon ita redigi potest:

*Can. 1240*

«§ 1. *Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dede- rent poenitentiae signa, illi tantum peccatores publici et manifesti quibus eae- dem non sine publico fidelium scandalio concedi possunt.*

§ 2. *Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est; permanente autem dubio, concedatur ritus exequialis, ita tamen ut removeatur scandalum».*

Omnes Consultores concordant circa suppressionem catalogi casuum privationis sepulturae ecelesiasticae.

Circa formulam autem aliqua discussio habetur de § 1.

Rev.mus secundus Consultor censet quod unicum criterium attendendum pro concedendis vel negandis exequiis est an oriatur scandalum, ideo omitti potest qualificatio peccatoris *publici et manifesti*. Formula § 1 ita redigi potest:

«*Qui publicum scandalum fidelibus dederunt, exequiis ecclesiasticis pri- ventur, nisi ante mortem aliqua signa praebuerint resipiscentiae vel aliter scan- dalum removeatur».*

Rev.mus primus Consultor praefert ut basim discussionis formulam relatoris, quia, dicit ipse, attendi debet non solum scandalum publicum quod peccator dedit fidelibus, sed, etiam scandalum publicum proveniens ex ipsa concessione exequiarum: huic sensui melius responderet formula Rev.mi Relatoris.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum primo Consultore et proponit ut approbetur formula Rev.mi Relatoris, suppressis tamen verbis « illi tantum » et « publici et manifesti ».

Rev.mi sextus et quartus Consultores volunt retinere « publici et manifesti », secus fere omnes privari possent exequiis ecclesiasticis quia omnes sumus peccatores.

Alii Consultores non admittunt hoc argumentum sexti et quarti Consultorum; nemo enim scandalizabitur de exequiis concessis illis, qui etsi peccatores, non dederunt scandalum publicum.

Suffragatur utrum placeat supprimere verba « illi tantum » necne: Placet 6; non placet 3.

Suffragatur utrum placeat supprimere verba « publici et manifesti » necne:

Placet 7; non placet 2.

Suffragatur utrum placeat haec formula § 1 necne:

*« Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, peccatores quibus eaedem non sine publico fidelium scandalo concedi possunt ».*

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut redactio formulae § 1 ita mutetur:

*« Peccatores, quibus absque publico fidelium scandalo exequiae ecclesiasticae concedi nequeant, iisdem privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa ».*

Placet 4; non placet 5.

Suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet 8; Placet iuxta modum 1.

*Modus:*

dicatur «Ordinarius» loco «loci Ordinarius» (Rev.mus quintus Consultor).

Deinde Rev.mus Relator proponit ut supprimantur cann. 1241-1242 CIC.

Propositio omnibus placet.

His dictis, finis Sessioni imponitur.

APPENDIX  
CANONES APPROBATI

*Can. 1203*

§ 1. Omnes fideles defuncti exequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt.

§ 2. Exequiae seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebranda sunt iuxta modum, quem, ad normam legum liturgicarum, Conferentia Episcopalis regionis statuerit.

§ 3. Illis etiam qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianaे vitae adversis, concedendi sunt exequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepeliendi anteponere, vitatoque periculo scandali.

*Can. 1204*

In celebratione exequiarum, praeter distinctionem ex Ordine sacro manantem, nulla privatarum personarum aut condicionum in coeremoniis habeatur acceptio.

*Can. 1205*

§ 1. Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur, vel saltem spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata, alterutra rite benedicenda.

§ 2. Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur.

§ 3. In ecclesiis cadavera ne sepeliantur nisi agatur de cadaveribus Romani Pontificis aut S.R.E. Cardinalium vel de cadaveribus Episcoporum residentialium<sup>2</sup> in propria ecclesia sepeliendis.

*Can. 1208*

§ 1. Paroeciae et familiae religiosae coemeterium proprium habere possunt.

§ 2. Etiam aliis personis moralibus canoniciis vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum rite benedictum.

§ 3. Quoad praedictorum iurium exercitium provideat ius particulare.

<sup>2</sup> Mens Consultorum est ut in loco apto, in parte de Sacra Hierarchia, dicatur Episcopos olim residentialia aequiparari, quoad honores, episcopis residentialibus.

*Can. 1215*

§ 1. Funus pro quolibet fidieli defuncto ex iure ordinario in propriae paroeciae ecclesia celebrari debet.

§ 2. Fas est autem cuilibet fidieli, vel iis quibus fidelis defuncti exequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere, dummodo consensus rectoris legitime accedat.

§ 3. Si extra propriam paroeciam mors acciderit, neque cadaver ad eam translatum fuerit, neque aliqua ecclesia funeris legitime electa, exequiae celebrentur in ecclesia iure particulari designanda.

*Can. 1219*

Exequiae Episcopi residentialis defuncti in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi aliam ecclesiam elegerit.

*Can. 1221*

Exequiae religiosorum eorumque qui cum illis stabiliter commorantur fiant ad normam constitutionum.

*Can. 1223*

§ 1. Si paroecia habet proprium coemeterium, ex iure ordinario, in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit vel ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit.

§ 2. Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere coemeterium sepulturae, quo in casu in illo sepeliantur cadavera, dummodo consensus accedat superioris a quo coemeterium pendet.

*Can. 1235*

§ 1. Quamvis fovenda sit fidelium consuetudo oblationes Ecclesiae occasione funerum libere donandi, current tamen Ordinarii ne ullo modo taxae exigantur; omnibus autem fidelibus defunctis semper exequiae persolvantur iuxta leges liturgicas et Conferentiae Episcopalis statuta.

§ 2. Expensae additiciae persolvantur directe ab iis, qui exequias consuetis sollemiores cupiunt.

*Can. 1238*

Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacraenta ministraverit, locum et tempus tumulationis.

*Can. 1239*

§ 1. Omnes fideles et catechumeni defuncti exequiis ecclesiasticis donandi sunt nisi iisdem a iure expresse priventur.

§ 2. Fratribus seiunctis, qui per baptismum in quadam cum Ecclesia catholica communione constituti sunt, concedi possunt exequiae ecclesiasticae de prudenti loci Ordinarii iudicio.

§ 3. Etiam alii, qui aliquomodo ad Ecclesiam propinquai videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae, de prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt.

*Can. 1240*

§ 1. Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliquae dederint poenitentiae signa, peccatores quibus eadem non sine publico fidelium scando concedi possunt.

§ 2. Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est; permanente autem dubio, concedatur ritus exequialis, ita tamen ut removeatur scandalum.

